

denticulata, subglaberrima, vel pilis crispis simplicibus vestita; scapi breves filiformes; involucrium paucifoliolatum, subregulariter imbricatum, extus pubescens, foliolis exterioribus interdum pilis paucis longioribus fuscis munitis; receptaculi paleæ hyalinae, apice setiferæ, coloratæ, achenia (juniora) excedentes; pappus ex radiis 10 longioribus deciduo-plumosis basi parum expansis, cæteris (fere 10) dimidio brevioribus inter priores extus adjunctis; achenia nimis immatura ulterius observanda.—*Hab.* In regione superiori Atlantis Majoris. In convalle Ait Mesan! et in jugo Tagherot! a 2400^m ad 3200^m.

Species insignis nulli proxima, primo intuitu inter *Leontodontes* adscribenda.

Leontodon hispanicus, Merat; subsp. *L. Ballii*, Benth.—Differt a typo hisce notis. Indumentum biforme, ex setis rigidis apice furcatis vix uncinatis, et pube brevi araneosa; scapi breves, bracteis 1-2 linearibus instructi; involucrium minus regulariter imbricatum, foliolis interioribus paucis latiusculis; lignæ extus rubellæ; receptaculi foveolæ margine brevissimo membranaceæ non ciliatæ; achenia apicem versus attenuata sed vix aut ne vix rostrata subtiliter corrugato-asperula (nec muriculata) pappi setæ inæquales, longiores plumosæ breviores setaceæ.

Legi in Atlantis Majoris convalle Amsmiz! circa 1400^m.

Pro specie omnino distincta habuerim nisi tot tantosque lusus in hac grege observaverim. Ne dicam de notis specificis, characteres etiam generis nullomodo stabiles sunt. Inter specimina *L. hispanici* ad Fuente de la Higuera lecta (Bourgeau Pl. d'Espagne No. 1600) achenia exteriora incurva extus farinacea nec costato-striata pappo brevissimo fimbriifero coronata omnino ut in *Picride lyrata*, Del.

Leontodon (§ *Deloderium*) *trivialis*, nob.—Radix indurata, annua vel biennis, caules (vel potius scapos) plurimos emittens folia radicalia, lineari-oblonga vel lanceolata, profunda dentata rigida, subglaberrima vel pilis simplicibus hispida; scapi glabri 1-3-cephali, aphylli; involucrium imbricatum, demum subcylindricum; receptaculum fimbriatum; achenia in rostrum semetipsis subæquale sensim angustata; cætera ut in § *Deloderium*.—*Hab.* In ruderatis Imperii Maroccani meridionalis, ut videtur sat frequens. Legi in Prov. Shedma! prope Mtouga! et specimen vidi in ditione Mesfioua lectum a celeb. J. D. Hooker.

Planta humilis; specimina sæpissime erosa vel sub pedibus conculeata. Ab affini *Apargia annua*, Vis. Pl. Æg. et Nub., p. 38, tab. 6, cæteris prætermisissis differt achenio longe rostrato nec erostrato. *Crepis hispidula*, Del. (*Leontodon Delileanus*, nob.), differt achenio apice in rostrum sibi duplo longius abrupte angustatum.

Sonchus tenerrimus, L.; var. *tuberculatus*, nob.—A typo differt insigniter acheniis rugoso-tuberculatis, brevioribus et simul majoribus, et insuper capitulis majoribus, ligulis aurantiacis, foliis minus profunde pinnatifidis, caulinis basi grosse auritis.—*Hab.* In rupibus arsis insulæ Mogador!

In copia magna speciminum *S. tenerrimi* (speciei summopere ludibundi) achenia nostris similia nunquam observavi.

Sonchus fragilis, Ball in Herb. (1852)—*S. tenerrimus*, L.; var.